Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2657
Quelle:
Copyright:

ſew habebat ſex gradus &c. Non deſunt per decurſum piae fabellae. Finit: *et earum ſuggeſtionibus amplius aditum non prebere.* Sequitur *Regiſtrum.* Autorem non reperi.

III. *fol.* 38. *Incipit expoſicio miſſe Innocencij pape.* Eo ſenſu *Innocentii* III. quod ex ejus Opere *de Miſſae Myſteriis Codd.* variis hic indicato extracta ſit. Initium eſt: *In ſacramento altaris ſunt ſeptem vtiliter attendenda* &c. Finis: *ſacerdos facit in nomine indiuidue trinitatis.*

IV. *fol.* 50. *Incipit tractatus de Miſſa reuerendi Magiſtri Hainrici de Haſſia doctoris eximij.* Initium: *Quam breuis fuerit Miſſa et in verbis et in ceremonijs* &c. Finis: *tuam majeſtatem publice extollentes Gracias agimus.* Codices plures *mſ.* indicat *Pezius Diſſ. iſag.* in T. I. *Theſ. Anecd.* p. 77. Praeterea ſub ipſa Typographiae initia editus eſt charactere rudi in 4. et deinceps ſaepius.

V. *fol.* 61. *De Decem preceptis.* Habentur Expoſitiones Decalogi *Henrici de Haſſia* et *Nicolai de Dünkelſpühl*, ſed non congruunt cum praeſenti, quam tamen *Viennae* concinnatam fuiſſe ex hoc loco *fol.* 100. arguo: *Poſito quod princeps non ſit Wienne et quis credens eum eſſe Wienne et volens a ſe querentem decipere, dicat ſibi, dux non eſt Wienne, ille mentitur* &c. Initium eſt: *Ego ſum dominus deus tuus qui eduxi* &c. *Et ſic erit preceptum primum vna copulativa* &c. Finis: *et digna premio glorie ſempiterne. Ad quam nos perducere* &c.

VI. *fol.* 109. Sermo *de Poenitentia* ſine nomine Autoris. Thema et initium: *Ecce nunc tempus acceptabile. Ad Cor. 2. c. 6. Duo ſunt tempora hominis vnum iuſticie* &c. Finis: *a quo nos cuſtodiat qui ſine fine vivit et regnat.*

VII. *fol.* 111. p. 2. absque inſcriptione *M. Nicolai de Dünkelſpühl* Tractatus *de tribus Partibus Poenitentiae* hoc initio: *Tres ſunt partes penitencie vt dicit Magiſter* &c. Jam indicatus alibi.

VIII. *fol.* 149. p. 2. *Sermo de corpore chriſti* in illud: *Probet autem ſe ipſum homo* &c. Initium: *Probet id eſt ſecundum gloſam examinet et purget ſe ipſum* &c. Autor non adſcribitur; Sermo vero habetur *Cod.* DCCLXII. cum IV. aliis *Nicolai* ſupradicti.

IX. *fol.* 155. p. 2. *Exhortacio beati Jeronimi de timore dei.* Initium: *Hortor vos kariſſimi mei et dilectiſſimi filii* &c. Fragmen eſt ex ſuppoſititio *Euſebii de Morte Hieronymi* opuſculo *Caput* 13. 14. et principium 15. complexum, ut extant in *Opp. Hier.* edit. *Vallarſ.* T. XI. *col.* 293.

X. *fol.* 157. *Tractatus de Septem Vicijs mortalibus et aliquibus virtutibus eis oppoſitis.* Initium: *Nunc dicendum eſt de vicijs — Et eſt primo Notandum quod ut docet Magiſter in 2° ſententiarum* &c. Eſt *Nicolai de Dünkelſpühl*, ut dixi ad *Cod.* CCCCL.

XI. *fol.* 262. Sermo *de Die Corporis Chriſti* in illud: *Accipite et comedite* &c. *M*. XXVI. Initium: *Hodie kariſſimi nobis dies ſanctus et veneracione dignus illu-*